

quaestione disserunt auctores supra citati, et *Malvenda* lib. I. de Antichristo cap. 26 et seq.

## CAPUT II.

*Error chiliastarum et antilogiae Apocalypseos apparentes.*

QUAESTIO V. *An error chiliastarum seu millenariorum fundamentum habet in Apocalypsi?* Respondeo: chiliastae ex capite 20 Apocalypseos perperam intellecto suum errorem immerito intulere, docentes, post sex millia annorum, quibus stabit hic mundus, devicto Antichristo iustos resurrecturos, et cum Christo in terris regnatos mille annis in summis deliciis, vel corporalibus gulae et luxuriae, uti volebat impurus *Cerinthus*, vel potius spiritualibus, ut voluit *Irenaeus* et alii. Hanc ergo aiebant esse resurrectionem primam, de qua Apoc. cap. 20 agit s. Ioannes: post quam esset secutura *resurrectio secunda*, in qua post transactum regnum illud millenarium sancti et terra in coelum transferrentur. Itaque caput 20 Apocalypseos sic exponebant: Diabolus est ligatus per mille annos v. 3. Dein solvetur modico tempore vers. 5. Erit resurrectio et iudicium, iustique dicuntur cum Christo regnasse mille annis v. 4. Caeteri vero mortuorum, nempe reprobi non vixerunt per hos mille annos. *Et haec resurrectio prima* iustorum v. 5. Porro, qui habent partem in resurrectione prima, in his non habet potestatem mors secunda, sed ut dictum est, regnabunt cum Christo mille annis v. 6. Consummatis his mille annis solvetur Satan, et seducet gentes v. 7. Et punietur v. 9. Tunc erit iudicium universale v. 11. Et reprobi damnabuntur. *Et haec est mors secunda* v. 14. Electi autem e terra in coelestem glo-

riam transferentur. Iam millenarium sic inferebant: inter resurrectionem, et gloriam coelestem iustorum erit aliquod regnum Christi cum iustis per mille annos: ergo dabitur regnum millenarium. Sed respondeo: nego suppositum, quod vers. 4 sermo sit de resurrectione carnis et iudicio universali: secus duplex erit eiusmodi iudicium; primum ex v. 4, alterum ex v. 11. Igitur verba illa v. 4: *Et vidi sedes, et sederunt super eas, et iudicium datum est illis: et animas decollatorum propter testimonium Iesu... et qui non adoraverunt bestiam, neque imaginem eius... et vixerunt, et regnaverunt cum Christo mille annis*, longe aliam habent sensum, nempe, ut *Cornelius a Lap.* exponit, probabilius hunc: Vidi sedes beatorum, et praecipue martyrum in coelis, quibus *iudicium datum est*, hoc est, qui a Deo destinati sunt iudices, ut cum Christo in die iudicii aliquando iudicent orbem: interim regnarunt et regnant cum Christo in coelo et in ecclesia per mille annos, hoc est, toto eo temporis intervallo, quod a morte Christi usque ad universale iudicium intercedet. Usurpatur enim hic certus numerus *mille annorum* pro incerto ac indeterminato, quod non adeo infrequens est in sacris Scripturis (1). Unde genuina interpretatio et analysis cap. 20 Apocalypseos haec est. A Christi adventu ligatus est diabolus per mille annos, id est, usque ad ultima Antichristi tempora ex vers. 2. Circa haec solvetur per aliquam morulam ex v. 3. Qui interea post Christi mortem in statu gratiae moriuntur, assumuntur ad gloriam coelestem, et usque ad ultima tempora iam in coelo regnabunt ex vers. 4. Et haec est a-

(1) Psalm. 104, v. 8. Psalm. 89, v. 4. Ecclesiastici, c. 16, v. 5.

*millenarum* prima resurrectio seu assumptio ad vitam aeternam. In his aberit metus publicae condemnationis in iudicio universali, sed regnabunt interim in coelis cum Christo ex vers. 6. Caetera citati 20 capituli Apocalypseos iam per se plana sunt et difficultatem non facessunt, sed contra millenarios pugnant: quia, ut supra innui, ex eorum sententia sequeretur, duplex fore iudicium extremum, et millenarium illud Christi regnum desitutum ante universalem resurrectionem corporum, atque ultimum iudicii diem vers. 11 et sequent. descriptum; cum tamen chiliastae omnes, praeter s. *Iustinum* (1) illud regnum resurrectione corporum posterius velint. Caeterum illud adhuc notandum, et ex dictis colligendum, quod historice a vers. 3 ad vers. 7 sit pergendum: intermedii versus quasi per parenthesis sunt positi. Plura de systemate et resurrectione chiliastarum invenies apud *Natalem Alex.* (2), *Cornelium a Lap.* (3), *Sardagna* (4), *Card. Gotti* (5), pluresque alios theologos et interpretes.

QUAESTIO VI. *An liber Apocalypseos antilogias, seu contradictiones continet?* Respondeo: Apocalypsis non reapse, sed apparenter dumtaxat sibi ipsi, aut aliis Scripturis sacris contradicit. Sunt autem eiusmodi apparentes antilogiae praecipue sequentes. I. Apoc. c. 4, v. 7 et 8 dicitur: *Animal primum simile leoni, secundum simile vitulo; et singula habebant alas senas*. Sed Ezech. 1. v. 6 dicitur: *Quatuor facies uni, et quatuor pennae uni*.

(1) In dial. cum Tryphone.

(2) Tom. 5 in histor. eccles. saec. 1, disput. 27, art. 2.

(3) Commentar. in Apoc. c. 20, v. 2.

(4) Theol. Dogmatico-polem. tom. 5, § 261.

Porro haec quatuor animalia visa a Ioanne fuere eadem cum iis, quae vidit Ezechiel, ut *Cornelius a Lap.* cum *Pererio* et *Hieronymo Prado* docet. Si autem fuere eadem, quare haec Ioannis animalia senas, Cherubini vero Ezechielis non nisi quaternas habuere alas? *Respondeo I.* Non est certum, sed interpretes disputant, num haec animalia apud Ioannem et Ezechielem fuerint eadem, et *Alcasar* (6) absolute negat, fuisse eadem. *Respondeo II.* Has visiones symbolicas fuisse, non res veras; unde non mirum, quod haec animalia, licet eadem fuerint quoad primariam ideam, non tamen eadem fuerint quoad accidentia omnia. Alludit ergo Ioannes ad illa Ezechielis, non tamen illa ipsa quoad omnia repraesentat. Sic, ut *Cornelius a Lap.* (7) recte advertit, saepe s. Ioannes et alii alludunt ad visiones Danielis, Ezechielis, et aliorum, non tamen illae ipsius cum hisce sunt eadem omnino, sed potius aliis et aliis partibus vel ornamentis pro materiae varietate vestitae et interstinctae. Caeterum s. Ioannes non prodit, quinam esset animalibus illis senarum alarum usus, et num extensae essent omnes, an aliquae contractae. Denique cum Tirino dici potest, Cherubinos Ezechielis quaternis dumtaxat alis instructos apparuisse, non senis, uti animalia Ioannis: quia illi non egebant, sicut ista, duabus superioribus alis ad faciem coram Deo velandam; pergebant enim ad bellum, puta ad excidium Hierosolymae: unde vultum debebant detectum habere, ut hostem detegerent, et certo ictu ferirent.

II. Apoc. cap. 4, praedicta qua-

(5) Theol. schol. dogmatic. tom. 1, tract. 5, q. 2, dub. 2.

(6) In hunc locum commentar. 2, sect. 1.

(7) In Apoc. c. 4, v. 7.

tuor animalia finguntur instar hominum vel angelorum dicentia: *Sanctus, Sanctus, Sanctus etc.* Et cap. 5, Agnus accipit librum, eiusque sigilla reserat. Cap. 8, Ioannes narratur vidisse aquilam volentem et clamantem: *Vae, vae, vae habitantibus in terra.* Apoc. cap. 6, *Stellae de coelo ceciderunt super terram.* Apoc. 9, v. 1, *Stellae*, quae de coelo cecidit, *data est clavis abyssi, et aperuit puteum.* Sed quis credat haec et plura alia monstruosa, et impossibilia Deum s. Ioanni revelasse? num animalia possunt loqui? quomodo terra capiet stellas de coelo cadentes, quae multo maiores sunt globo terraqueo? An stella illa, quae aperuit puteum, fuit animata? An non potius Christus de seipso ait Apoc. 1, v. 18: *Ego habeo claves mortis et inferni?* Respondeo: Iam supra (1) monuimus, eiusmodi visiones s. Ioannis fuisse symbolicas, nec in sensu litterali crasso, sed figurate accipiendas. Igitur istae visiones non erant monstra, sed symbola et hieroglyphica, qualia multa etiam viderunt Daniel (2) aliique prophetae. Cur autem Deus in Apocalypsi adeo tecte, mystice et obscure loqui voluerit, rationem dedimus pariter (3) iam supra. Caeterum, quando s. Ioannes ait, stellas cecidisse de coelo, id est, sub finem mundi casuras de coelo, hoc iuxta interpretes s. Scripturae non intelligendum de vero casu stellarum, sed ut *Calmet* vult, haec popularis est, atque hyperbolica loquendi ratio, quae gravissimam rerum omnium in universo mundo innuit perturbationem, vel ut *Pererius*, *Tirinus*, *Cornelius a Lap.* existimant, id intelligendum est de fulgetris, ignibus cadentibus, aliis-

(1) Vide Antilogiam apparentem immediate praecedentem, seu primam: Item q. 2. de Apocalypsi.

que meteoris igneis instar stellarum novae et prodigiosae magnitudinis et formae, quae Deus in fine mundi quasi spicula vibrabit in terram, ut homines terrefaciat, et terribilem suum adventum velut praenuntiet. Neque obstat illud: *de coelo.* Scriptura enim universum hoc spatium a terra usque ad stellas fixas et ultra expansum solet appellare coelum; ut patet ex cantico trium puerorum (4), ubi legimus: *Benedicite aquae omnes, quae super coelos sunt, Domino.* Item: *Benedicite omnes volucres coeli Domino.* In quibus duobus textibus, ait *Pererius*, manifeste sumtum est nomen coeli pro spatio aëreo, in quo pluviae generantur, et volant aves. Alii recentiori philosophiae et mathesi addicti aiunt, stellas vero aliquo sensu posse cadere de coelo, nimirum cometas, quorum unus aut alter, si in fine mundi ad globum terraqueum nimium appropinquaret, aut in eum omnino in describenda sua orbita incurreret (prout absolute fieri posset) haud dubio terram et terrae incolas terribili exitio destrueret.

Quod autem attinet stellam, cui dicitur *data clavis abyssi*, variae sunt huius textus explicationes, quarum quaelibet salvat textum. Imprimis posset dici, quod non ipsi stellae, sed, cadente stella, data fuerit angelo clavis abyssi. Totus enim versus primus ita habet: *Et quintus angelus tuba cecinit; et vidi stellam de coelo cecidisse in terram; et data est ei (angelo) clavis putei abyssi.* Nam v. 11, qui appellatur *angelus abyssi* videtur esse idem, qui tuba quinta cecinit, atque fuisse ita vocatus, quod eidem data sit clavis ad aperiendam abyssum. Quando vero Christus Apoc. cap. 1, di-

(2) Daniel, cap. 7, v. 8.

(3) Citat. quaest. 2 de Apocal.

(4) Daniel. c. 3, v. 60 et 80.

cit, *se habere claves mortis et inferni*, sensus est, quod habeat supremum dominium in merem et infernum, quia quoscunque vult ab iis praeservat, hoc tamen non impedit, quominus angelo, tanquam iustitiae divinae ministro, abyssi, seu infernalis carceris claves datae sint. Denique, si quis velit stellae ipsi de coelo cadenti hoc loco datas esse claves abyssi, poterit cum *Tirino* per stellam hanc intelligere angelum unum e bonis, coelesti descendente palatio, qui praesidet inferno: in qua explicatione denuo absurdi nihil apparet aut impossibile.

III. Apoc. 5, v. 3, et 4, habetur: *Nemopoterat respicere librum... nec videre eum.* Sed vers. 1, Ioannes ait, *se vidisse hunc librum scriptum intus et foris.* Respondeo cum *Cornelio a Lap.* versu primo esse hystorologiam quae figura in sacra Scriptura saepius occurrit, quando nimirum factum aliquod narratur prius, quod posterius contigit. Ioannes enim non potuit vidisse librum hunc utrinque esse conscriptum, nisi post eius resignationem, revolutionem et explicationem, quae primum narratur c. 5, v. 8, et c. 6, v. 1, et sequent. Quod ergo dicit s. Ioannes, *scriptum intus et foris*, non iam, sed postea aperto et evoluto libro cognovit.

IV. Apoc. 5, v. 12, *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere divinitatem.* Sed Christus iam a primo instanti suae conceptionis habuit divinitatem, ut docet communis et certa theologorum sententia. Respondeo: Cum Agnus occisus, seu Christus, dicitur dignus esse accipere divinitatem, id non significat eam tanquam gratiam, quam antea non haberet, post passionem et mortem suam accepisse; sed sensus est: Dignus est Agnus, ut ob mortem suam ab o-

mibus adoretur et laudetur et glorificetur tanquam verus Deus. Nam, ut apostolus ad Philipp. c. 2, v. 6 ait, « cum in forma Dei esset... semel ipsum exinanivit formam servi accipiens... humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen. » Unde quando Agnus dicitur dignus accipere divinitatem, virtutem et sapientiam et fortitudinem, sensus est, quod dignus sit ista accipere non in se considerata (utpote quae iam prius habuit), sed in mente et ore hominum, seu quoad eorum manifestationem; ut scilicet omnes homines agnoscant et laudent Agni virtutem, sapientiam et fortitudinem, eumque tanquam verum Deum adorent, ut qui eiusdem cum Patre divino substantiae est. Caeterum textus graecus et versiones orientales pro *Divinitatem* habent *Divitias*, ita ut sensus videatur esse: dignus est Agnus ut ipse ostendat omnes thesauros Dei suos esse. Potuit autem fieri, ut pro *Divitias* festinans in transcribendo librarius poneret *Divinitas*; quod cum postea cerneretur non apte cohaerere cum verbo *accipere*, mutatum fuerit in *Divinitatem*, sicut communiter in omnibus latinis exemplaribus legitur. Vide *Riberam* et *Calmetum* in hunc locum.

V. Apoc. 7, v. 4 dicitur: *Centum quadraginta quatuor millia signati, ex omni tribu filiorum Israël.* Sed nulli hic enarrantur signati ex tribu *Dan*, neque ex tribu *Ephraim*. Respondeo: Quia ex tribu *Dan* non ita multi sunt futuri electi (plerisque Antichristo ex hac tribu orituro adhaerentibus) ideo tribus ista hic omittitur, et eius loco tribus *Levi* substituitur. Ita *Irenaeus* (1),

(1) L. 5, c. 50.

*Ambrosius* (1), *Augustinus* (2), et alii passim, quos citant *Ribera* et *Pererius*. Tribus *Ephraim* verhotenus dumtaxat, non autem revera hic praetermissa est: nominatur enim tribus *Ioseph*. Atqui tribus *Ioseph* non fuit alia quam tribus *Manasse* et tribus *Ephraim*, qui fuerunt filii *Ioseph*, sed a *Iacob* patriarcha in filios suos adoptati, et haereditatis naturalium filiorum suorum participes facti. Quare cum hic praeter tribum *Manasse* etiam nominetur tribus *Ioseph*, haec non alia est quam tribus *Ephraim*. Sic vero eam appellavit s. *Ioannes* secutus morem loquendi aliorum prophetarum, qui tribum *Ephraim* appellare solent vel praecise sub nomine *Ioseph*, vel cum addito *Tavernaculum Ioseph* (3). Vocatur autem nomine *Ioseph* tribus *Ephraim* prae tribu *Manasse* ob maiorem suam amplitudinem atque nobilitatem; et s. *Ioannes* ob reverentiam et honorem tanti patriarchae, cum de electis et salvandis ex omni tribu prophetaret, maluit eam tribum nomine *Ioseph* appellare, quam nomine *Ephraim*. Ita *Pererius*.

VI. Apoc. 41, v. 19, legitur: *Apertum est templum Dei in coelo, et visa est arca testamenti*. Sed cap. 21, v. 22 *Ioannes* ait: *In ea civitate non vidi templum*. Respondeo, nulla hic est contradictio realis, sed apparens tantum. Nam in primo textu *templum Dei* accipitur metaphorice pro ipsa beatitudine sanctorum, et sensus est: ostensa mihi est beatitudo sanctorum, quanta futura sit. In altero vero textu negatur in coelo templum esse materiale, sive locus separatus, quo beati se recipiant ad orandum et cum Deo se uniendum. Cum enim

(1) De praedict. Patriarcharum, c. 7.

(2) Quaest. 22 in Ios.

coelites Dei et Christi claritate manifeste fruuntur, haec claritas ipsa cor ad sese trahit et rapit, ac cum Deo perfecte unit. Quare ubi nihil potest mentem ab ea perfecta unione et contemplatione distrahere, supervacaneus est quisvis alius locus ad quem se quisque recipiat. *Dominus enim Deus omnipotens templum illius est et Agnus*. Ita *Ribera* qui addit, per *arcam testamenti* in coelo visam denotari arcana mysteria a s. *Ioanne* agnita, ita ut sensus sit, revelata fuisse huic apostolo magna et recondita mysteria: nam arca erat in intima parte templi, quae dicebatur sancta sanctorum, et pariete, ac velo magno tegebatur, neque a quoquam videri poterat, nisi a summo sacerdote, idque semel in anno. Aliter obiectam hanc difficultatem solvunt et explicant *Calmet* et *Alcasar*, quilibet nempe conformiter systemati suo, quod tenet de argumento Apocalypseos.

VII. Apoc. 12, v. 1, ait s. *Ioannes*: *Signum magnum in coelo, mulier clamabat parturiens et cruciabatur, ut pariat*. Sed c. 21, v. 4 legitur: *In coelo neque clamor, neque dolor erit ultra*. Respondeo: Signum hoc, seu ostentum et portentosa visio d. *Ioanni* apparuit in coelo non empyreo nec sydereo, sed aëreo: inde enim mulier haec, per quam figurabatur ecclesia, volavit in desertum. Ita *Tirinus* et *Cornelius a Lap*.

VIII. Apoc. 13, v. 8, de *Agno* seu Christo dicitur: *Qui occisus est ab origine mundi*. Sed Christus primum natus est post 4 millia annorum a mundo condito; quomodo ergo potuit esse occisus ab origine mundi? Respondeo: aliqui post verba *occisus est* ponunt comma, et

(5) Vide Psal. 77 et Ezech. c. 57.

ab origine mundi non referunt ad *Agnum*, sed ad verba praecedentia, non sunt scripta nomina, hoc modo: *Quorum non sunt scripta nomina in libro vitae Agni, qui occisus est, ab origine mundi*. Ita *Ticonius*, *Ambrosius*, *Beda*, *Ribera*, *Alcasar* etc., tumque sensus est facilis, scilicet adorasse bestiam illos, qui ab origine mundi non sunt scripti in libro vitae, id est, qui non sunt praedestinati, sed reprobi. Verum cum biblia romana et alia passim non habeant eiusmodi comma, alii ab origine mundi referunt ad *occisus est*, tuncque sensus potest esse triplex. 1. *Ab origine mundi*, i. e. ante omnia, ab omni aevo, puta ab aeterno, *Agnus occisus est*, non realiter, sed habita ratione decreti divini, quo Deus ab aeterno decrevit redemptionem generis humani per Christi mortem. Ita praeter alios *Gregor. de Valentia* (1) et *Vasquez* (2). 2. *Agnus occisus est ab origine mundi*, i. e. ab initio mundi, quia ab initio mundi merita mortis Christi (3) sanctis applicata fuere. 3. *Agnus occisus est ab origine seu initio mundi non in se, sed in suis typis et figuris*, puta in sanctis patriarchis et prophetis, qui fidei et pietatis causa occisi, vel in victimis V. T., quae Christi erant figura. Christus ergo occisus fuit in sacrificio *Abelis*, in ariete quem pro *Isaac* immolavit *Abraham* (4), in *Agno paschali* (5), in iugi sacrificio, seu in *agno* quotidie mane et vesperi ab hebraeis in sacrificium oblato (6), denique in aliis ovibus et agnis, qui ex lege Dei omni festo offerendi erant. Ita *Cornelius a Lap*. plures pro se citans interpretes.

(1) 5. Part. q. 19, disp. 1, punct. 3.

(2) 5. Part. disp. 77, n. 66.

(3) Confer Actor. c. 15, v. 41, 48. Et Galat. c. 5, v. 17.

IX. Apoc. 20, v. 1, et 2: *Angelus habens clavem abyssi, ligavit Satanam per annos mille, et clausit in abyso, ut non seducat amplius gentes*. Sed 1, Petri 5, v. 8, dicitur: *Adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit, quaerens quem devoret*. Respondeo: Licet *Lucifer* ligatus sit in inferno et ligatus maneat usque ad tempora *Antichristi*, habet tamen suos velut emissarios daemones ubique, qui homines tentent et divexent, uti experientia et doctrina ss. patrum constat: per hos ergo instar leonis saevientis totum orbem circuit et perambulat, quaerens quem devoret: ferme sicut *Asmodaeus* libidinum rex ligatus erat a *Raphaële* in deserto *Aegypti* (7), et ita ligatus mansit probabilis, quamdiu *Sara* et *Tobias* vivebant, vel adhuc longius; et tamen interim suos per orbem daemones quasi ganeones et cupidines undequaque emisit, et terram libidinibus, et immunditiis contaminavit; quemadmodum etiam de ebriis lascivisque daemonibus *Andron* proficiscentibus narrat in *Iconibus Philostratus*. Ita *Cornelius a Lap*. (8) et *Serarius* (9). Aliter respondet *Calmet* contendens verba illa, ut non seducat amplius gentes, minime significare, daemonem modo nemini insidiari neminemque seducere; sed dumtaxat indicare, daemonis potentiam teneri constrictam et praepeditam, ut non amplius, ut olim, universam ecclesiam perturbet et publico christianae religionis exercitio obsistat, prout fecit sub romanis imperatoribus ethnicis, qui ecclesiae nefarium bellum

(4) Genes. c. 22, v. 15.

(5) Exod. c. 12.

(6) Exod. c. 29, v. 58, 59.

(7) Tobiae c. 8, v. 5.

(8) In Apoc. c. 9, v. 15 et 14.

(9) In Tobiae c. 8, q. 10.

indixerunt, atque Iesu Christi regnum evertere conati sunt. Idem sentit etiam *Alcasar*.

X. Apoc. 20, v. 11: *Fugit terra et coelum, et locus non est inventus in eis*. Sed apud Ecclesiasten 1, v. 4: *Terra in aeternum stat*. Respondeo: *Fugit terra et coelum*, id est, pristina facies, forma, et status terrae ac coeli: quia scilicet in aliam pulvorem formam et statum commutabuntur. Unde talis *locus* et status, qualis ante in illis fuerat, non amplius est inventus in eis, sed alius longe amoenior, splendidior et gloriosior. Ita *Calmet*, *Ribera* et alii interpretes passim, secuti s. *Augustinum* (1) dicentem: « Peracto quippe iudicio, tunc esse desinet hoc coelum et haec terra, quando incipiet esse coelum novum et terra nova. Mutatione namque rerum, non omnimodo interitu, transibit hic mundus. » Aliam explicationem obiecti textus Apocalypseos affert *Alcasar*, sensu mystico eum exponens.

XI. Apoc. 20, v. 14: *Infernus et mors missi sunt in stagnum ignis*. Sed stagnum ignis est in ipso inferno. Quomodo ergo infernus in hoc stagnum mitti potuit? Respondeo: Per *infernum* hic non intelligitur locus inferni, sed diabolus, qui per peccatum, quod introduxit in mundum, erat auctor mortis et infernarum poenarum. Ita hunc locum exponit s. *Augustinus* (2) dicens: « His nominibus Scriptura significat diabolum, quoniam mortis est auctor et infernarum poenarum, universamque simul daemonum societatem. Hoc est enim quod supra evidentius praeoccupando iam dixerat: Et diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris. » *Augustinum* sequuntur *Ribera* et *Calmet*. At aliam exposi-

(1) L. 20 de civit. c. 14. Idem fusius repetit c. 16.

tionem obiecti textus dant *Alcasar* et *Cornel. a Lap.*, qui censent, quod, sicut praecedente versu 13, *Et mors et infernus dederunt mortuos suos*, inducuntur mors et infernus tanquam duae personae tragicæ, atroces, quae semper associantur (nam quos mors occidit, eosdem infernus in sepulcris seu specubus subterraneis sepelit), sic versu 14, eadem fingantur cum damnatis ad ignitum inferorum carcerem velut descendere, non ut patiantur ab igne, sed ut aeternum Dei inimicos excrucient. Mors enim eos semper occidit; infernus eos semper abscondet et vivos asservabit, quo patiantur semper ac moriantur. Itaque infernus et mors in ignitum mittuntur stagnum, non in sensu proprio et litterali, sed in sensu improprio mox explicato, nempe non ut patiantur ab igne, sed ut aeternum damnatos excrucient.

XII. Apoc. 21, v. 16: *Civitas, ait, in quadro posita est et longitudo et altitudo et latitudo eius aequalia sunt*. Sed imprimis altitudo non est aequalis longitudini aut latitudini. Nam longitudo et latitudo v. 16, aequat stadia duodecim millia: altitudo vero muri v. 17, non nisi ad centum quadraginta quatuor cubitos ascendit, qui vix tertiam partem unius stadii exaequant. Dein an non coelum empyreum rotundum potius est, quam quadratum? Respondeo: Licet aliqui hoc quadratum ad litteram acceperint, ideoque coelum empyreum figurae non rotundae, sed quadratae esse existimarint; tamen alii interpretes passim, teste *Cornelio a Lap.*, tam quadratum illud, quam dimensionem longitudinis, latitudinis et altitudinis per stadia vel cubitos, uti et a-

(2) L. 20 civit. c. 15.

lia multa solum symbolice vel figurate intelligenda esse aiunt, videlicet ut per *civitatem in quadro positam* adumbretur ingens capacitas civitatis coelestis, in quam ex omnibus quatuor mundi plagis electi confluent, quaeque instar urbis in quadro cum aequabili ex omni parte longitudo, latitudine, et altitudine posita pulcherrima est. Dixi: cum *aequabili* longitudo, latitudine et altitudine. Nam, quando sacer textus ait: *longitudo, altitudo et latitudo eius aequalia sunt*, non comparatur altitudo cum latitudine vel longitudo, sed quaelibet ex his mensuris in se spectata dicitur aequalis, hoc est, ex omni parte seu latere aequae magna, ita ut, e. g. altitudo huius civitatis in quadro posita non sit maior ex parte orientali quam ex parte occidentali, nec eiusdem longitudo maior ex latere orientali quam ex occidentali, nec eiusdem latitudo maior a latere orientali ad latus occidentale, quam a latere australi ad septentrionale. Ratio ita textum sumendi est, quia si altitudo compararetur cum latitudine et longitudo, adeoque murorum altitudo esset duodecim millium stadiorum, quemadmodum longitudo et latitudo, vix tota civitatis area fundamentis et basi, quae ad moles tantae altitudinis sustinendas requiritur, sufficeret; ingens enim deberet esse crassitudo tam altorum murorum. Deinde, si textum ipsum attente inspiciamus, deprehendemus, quod longitudo dicatur quidem aequalis latitudini, *longitudo eius tanta est, quanta et latitudo*: sed cum in eodem versu mentio fit de altitudine, phrasis mutatur, neque dicitur: *altitudo tanta est, quanta et longitudo et latitudo*, sed, et

(1) Praefat. in evang.

(2) Orat. de transfig.

*longitudo et altitudo et latitudo aequalia sunt*, ut intelligeremus, a sacro textu non intendi, altitudinem esse tantam, quanta est longitudo et latitudo; sed omnia haec tria esse aequalia, id est, in sensu explicato aequalia. Ita *Salazar* et *Cornelius a Lap.*

Sunt quidem adhuc plures apparentes antilogiae in libro Apocalypseos; sed quia eas in citatis interpretibus solutas sedulus lector facile inveniet, iis recensendis supersedeo.

### CAPUT III.

*De auctore Apocalypseos.*

*De libro vitae.*

*De numero salvandorum etc.*

QUAESTIO VII. *An liber Apocalypseos auctorem habet s. Iohannem apostolum?* Respondeo: Quamvis olim aliqui, inter quos erat *Dionysius alexandrinus*, Apocalypsin tribuerint *Iohanni* non apostolo, sed alteri presbytero et Christi discipulo, qui hac de causa *theologus* vocetur: hodie tamen ex mente ecclesiae, et ss. patrum, quos sequenti quaestione citabimus, indubitatum est Apocalypseos auctorem esse s. *Iohannem* apostolum ac evangelistam. Nec obstat primo, quod in codicibus graecis hic liber inscribatur *Apocalypsis Iohannis theologi*, quia cognomen theologi appropriatum fuit s. *Iohanni* ob sublimitatem eius doctrinae, qua de Verbi divinitate altissimisque mysteriis profundissime disseruit. Unde *Theophylactus* (1) *Iohannem* vocat *magnum theologum*. Idem theologi nomen s. *Iohanni* attribuunt s. *Cyrillus*, s. *Chrysostomus*, *Origenes*, s. *Damascenus*, qui (2) s. *Iohannem* vocat *purissimum theologiae organum*, et alii, quos *Baronius* (3) citat.

(5) Ad ann. Christi 97, pag. 803.

*Secundo* non obstat, quod Apocalypsis stylo differre videatur ab evangelio et epistolis s. Ioannis; quia prorsus alia in Apocalypsi est materia, scilicet prophetia, quae alio stylo scribenda est quam historia vel ethica. Praeterea observarunt eruditi et multorum locorum inductione comprobant, stylum Apocalypsis omnino similem esse stylo s. Ioannis, de quo *Millius* (1) et *Wolfius* (2). Ac valet praesertim haec observatio, si in Apocalypsi verba et phrases ab angelo in calamum dictatae distinguantur ab aliis, quae s. Ioannes suis verbis enuntiat: in his enim suam plane phrasin evangelio et epistolis simillimam retinet. Errat ergo *Beza*, dum temere ex styli diversitate coniecat librum Apocalypseos esse *Ioannis* non apostoli, sed eius qui cognominatus est *Marcus* (3). Certe levissimae huic coniecturae repugnant praeter sensum ss. patrum et totius ecclesiae argumenta plura ex ipso libro Apocalypseos deprompta. Nam *primo* scriptor huius libri in *Patmo* insula fuit propter testimonium de Iesu datum (4), id quod de solo s. Ioanne apostolo tota veterum historia (5) refert. *Secundo*: mentio in Apocalypsi fit septem ecclesiarum Asiae proconsularis, quae curis s. Ioannis apostoli singulari modo creditae fuerant. *Tertio*: Stylus, ut supra dixi, est stylo s. Ioannis similis, nihilque toto in libro occurrit, quod vel aetati, vel genio, vel aliis indubiis s. Ioannis apostoli scriptis adversetur. *Quarto*: scriptor Apoca-

(1) In Proleg. §. 477.

(2) In curis philol. tom. 4.

(3) Aetor. c. 12, v. 25.

(4) Apoc. c. 1, v. 9.

(5) Vide s. *Hieronymum* de scriptor. eccles. *Ioannes*. Et *Sulpitium Severum* l. 2, histor. c. 51.

(6) Apoc. c. 1, v. 1, 4, 9. Et c. 21, v. 2. Et cap. 22, v. 8.

lypseos (6) *Ioannes* dicitur, et quidem ille ipse *Ioannes*, qui Iesum eiusque facta vidit et annuntiavit (7).

*Neque dicas*: Proprii nominis commemoratio non fuit usitata s. Ioanni apostolo seu in evangelio, seu in epistolis suis: ergo potius frequens illa in Apocalypsi huius nominis repetitio alium libri auctorem prodit. Respondeo: nego cons. Nam diversitas argumenti alium scribendi modum induxit. Apocalypsis est liber propheticus. Usitatissimum autem prophetis est nomen suum repetere. Videbis id ab *Isaia* factum decies sexies, ab *Jeremia* plusquam centies, bis ab *Ezechiele*, quater et centies a *Daniele*. Quin haec ipsa nominis *Ioannes* repetitio cum addito, qui testimonium perhibuit verbo Dei et testimonium Iesu Christi, quaecunque vidit . . . . fui in insula, quae appellatur *Patmos* (8), de auctore Apocalypseos certos nos reddit, ut paullo ante observavimus.

*Dices*: Hi ipsi modi loquendi sunt conflicti ab impostore aliquo, nempe a *Cerintho* exeuntis primi saeculi haeresiarca, ut in hoc libro a se composito et ficto s. Ioannis nomine inscripto, deliramentis suis auctoritatem conciliaret. Respondeo: Erant quidem olim etiam, qui Apocalypsin a *Cerintho* ob causam mox indicatam exaratam putarunt. Verum, quamvis indubitatum sit *Cerinthum* suam (9) edidisse Apocalypsim, quam *Baronius* s. Ioannis nomine ab eodem evulgatam arbitratur; diversam tamen fuisse a genuina s. Ioannis Apocalypsi, a patribus perspicuum prorsus (10) ac-

(7) Ut patet ex Apoc. cap. primo v. 2, collato cum epist. I. Ioan. c. 1, v. 1, et 2.

(8) Apoc. c. 1, v. 2 et 9.

(9) V. *Theodoretum* haeret. fabul. l. 2, c. 5.

(10) Vide *Tillemont* nota 5 in *Cerinthianos*.

*cipimus*. Porro recte monet illust. *Calmet* (1) sententiam, quae Apocalypsin nostrorum librorum *Cerintho* adscribit, pluribus refellere supervacaneum esse, cum huius haeresiarcae errores ab ea validissime oppugnentur.

QUAESTIO VIII. An liber Apocalypseos est canonicus? Antequam respondeam observo, *marcionitas* olim et *alogianos* teste *Epiphano* (2), et posterioribus saeculis *Erasmus* et *Lutherum* Apocalypsin a canone s. Scripturae reiecit. Dubitarunt etiam aliquando nonnulli catholici scriptores de auctoritate huius libri, praesertim *Caius* vetus auctor sub *Zephyrino* papa Romae vivens, teste *Eusebio* (3). Similiter, teste *Hieronymo* (4), *graecorum ecclesiae Apocalypsin non suscipiunt*. Sed hoc intelligendum de tempore s. Hieronymi, et de aliquibus dumtaxat ecclesiis, non de omnibus; nam de pluribus contrarium ostendunt cardinales *Baronius* et *Bellarminus*. Caeterum etiam *Amphylochius* coaevus s. *Basilio* (5) de suo tempore loquens ait: *Apocalypsin Ioannis aliqui iis (libris canonicis) inserunt: sed longe plurimi adulterinam respiciunt*. *Beza* vero caeterique calvinistae Apocalypsin inter canonicas Scripturas numerant, quibuscum etiam magdeburgenses (6) alique hodie protestantes hac in re sentiunt, strenue pugnant pro Apocalypsi adversus *Lutherum* suum. Rationem autem cur calvinistae, qui aciores ecclesiae romanae hostes videri volunt, iam olim censuerint sibi recipiendam esse Apocalypsin, *Alca-*

*sar* (7) assignat istam; nempe ut obscuris huius libri aenigmatis abuterentur ad acerbitalis suae virus in romanum pontificem evomendum. Verum quidquid de hoc sit, ad propositam quaestionem respondeo, et

*Dico*: Liber Apocalypseos est canonicus. Patet id ex decreto concilii romani sub *Damaso*, ac ex concilio florentino et tridentino. Item ex antiquissimo concilio ancyrano, cartaginensi III. et toletano IV. Rursum ex *Innocentii* I. epist. 3, ad *Exuperium*, *Gelasio*, *Augustino*, *Isidoro* et aliis, qui canonem librorum canonicorum pertexunt. Hi enim omnes in eo nominant et collocant Apocalypsin. Quocirca ss. patres passim Apocalypsin citant ut librum canonicum, e. g. *Irenaeus* (8), *Iustinus* (9), *Tertullianus* (10), *Origenes* (11). Taceo alios quos citat *Perrerus*. Vide etiam card. *Baronium* (12) et *Bellarminum* (13).

Porro argumenta adversariorum iam praeoccupavimus in quaestionibus praecedentibus (14); unum tamen aut alterum hic proponam aut repetam.

ARGUM. I. Praeter *Caium* scriptorem antiquissimum s. *Hieronymus* testatur Apocalypsin sua aetate non fuisse a graecis receptam. 2. Eodem *Hieronymo* teste, viri quidam eruditissimi Apocalypsin tanquam librum ab apostolica gravitate degenerem convitiabantur. Respondeo *ad primum*: unus alterve antiquus scriptor, cui plures etiam graeci sub aevum s. Hieronymi dicuntur adhaesisse, negligi potest, si comparatur ad communiorem pp. antiquorum

(1) Praefat. in Apocalypsin art. 5.

(2) L. 2. Haeresi 51.

(3) L. 5. c. 28.

(4) Epist. 129 ad *Dardanum*.

(5) In *Catal. lib. canon.*

(6) *Centur. c. 1, l. 2, c. 4.*

(7) In prooemio ad Apocal. notat. 2.

(8) *Lib. 4, c. 57. Et l. 5, c. 50.*

(9) In dial. cum *Tryphon.*

(10) L. 5 contra *Marcion. c. 14, et l. 4, c. 5 de praescript. c. 58.*

(11) *Homil. 7 in Iosue.*

(12) *Ad ann. Christi 97.*

(13) L. 1 de verbo Dei, c. 49.

(14) Vide supra q. 1 et 2 de Apoc.

sensum, et universalis demum ecclesiae consensus, de quo supra. *Caio* opponuntur *Irenaeus*, *Iustinus*, *Tertullianus*, aliique supra indicati. Graecis sub aevum s. Hieronymi secus opinantibus opponuntur graeci primi, secundi, ac tertii seculi, Apocalypsin s. Ioanni apostolo vindicantes, imo et plurimi sub aetate s. Hieronymi: s. *Epiphanius* enim (1) eodem seculo reprehendit omnes, qui de Apocalypsi litem moverant. *Ad secundum*: gustum sane depravatum habuerint, quicumque sunt viri isti eruditissimi, librum, in quo, teste s. Hieronymo, *tot sunt sacramenta, quot verba*, convitiis insectari ausi. Ac sane si nulla gravitatis apostolicae vestigia in eo deprehendissent, quo pacto tot ss. patres, et tota demum ecclesia eundem s. Ioanni vindicassent?

ARGUM. II. Apocalypsin nemo intelligit: ergo a canone librorum divinorum merito excluditur. Respondeo: dist. ant. nemo intelligit Apocalypsin quoad singula verba vel aenigmaticas quasvis visiones: esto. Quoad certa capita, sententias et vaticinia: nego. Sunt utique in Apocalypsi multa admodum obscura ac nonnisi coniecturis attingenda, cuius obscuritatis causas supra (2) assignavimus: at sunt etiam ibi praecepta longe clarissima de constantia in persecutionibus, de haereticis et pseudo-prophetis fugiendis. Satis etiam planae doctrinae habes in uno Apocalypseos scopo, qui ex sententia *Bellarmini* alius non est, ac incitamentum ad perseverantiam et patientiam tempore persecutionum. Absolum autem plane est librum ideo, quia obscurus est, a canone

(1) Haeres. 72.

(2) Quaest. 2.

(3) L. 7 histor. c. 22.

(4) Vide supra praefat. in Apoc. Et q. 2 et 5.

excludere; plurima quippe sunt in s. Scripturis, praesertim in libris prophetiis, quae vel nemo vel pauci intelligunt; num ideo reiicienda? Non ita olim sensit *Dionysius alexandrinus*, qui apud *Eusebium* (3) de Apocalypsi ita disserit: « Ego vero spernere aut abiicere scripturam libri huius nullatenus audeo... sed hoc magis de eo iudico, quod... sit in eo arcanus quidem et reconditus atque admirandus omnibus sensus, quem et ego admiror ac veneror, etiamsi non intelligo. Et ita sentio, quod divina aliqua sacramenta sermonibus contegantur humanis, non tam iudicio meo discernens quam fide credens: et ideo non reprobo quae non intelligo, sed tanto magis admiror, quanto minus assequor ». Denique etiam illud observandum quod, licet antiquis patribus Apocalypsis obscurissima visa sit, nobis tamen eius intelligentia multo facilior reddatur ex causis alibi (4) assignatis.

QUAESTIO IX. *Quid est liber vitae, et quid est in eo scribi aut ex eo deleri?* Antequam respondeam observo, saepius in Apocalypsi (5) et in aliis s. Scripturae locis (6) mentionem fieri de libro vitae. Sic, ut alia taceam, Apoc. 20, v. 15 dicitur: *Et qui non inventus est in libro vitae scriptus, missus est in stagnum ignis*. Hoc praenotato, ad propositam quaestionem respondeo cum d. Thoma (7) et aliis: *liber vitae* est ipsa Dei notitia, qua firmiter retinet seu scit se aliquos praedestinasse ad vitam aeternam. Igitur haec dictio *liber vitae* est metaphorica secundum similitudinem a rebus humanis acceptam. Sicut enim inter

(5) Apoc. c. 5, v. 5, et c. 17, v. 8, et c. 20, v. 15, et c. 21, v. 27.

(6) Psalm. 68, v. 29. Et ad Philipp. c. 4, v. 5, et Daniel c. 12, v. 1.

(7) 1. part. q. 24, art. 1.

homines fieri solet ut illi, qui ad aliquid eliguntur, conscribantur in libro vel catalogo, e. g. milites aut senatores, qui idcirco olim dicebantur *patres conscripti*; ita etiam conscriptio seu annotatio non externa et materialis, sed intelligibilis in ipsa divina mente eorum, qui praedestinati sunt ad coelum, dicitur *liber vitae*. Nam sicut liber seu scriptura libri est signum rerum in ea descriptarum; ita etiam firma memoria vel notitia alicuius rei est quasi quaedam tabula, in qua res descripta continetur, secundum illud (1), *describe* (misericordiam et veritatem) *in tabulis cordis tui*. Pari ratione notitia reproborum, quam Deus habet, dici posset *liber mortis* (2); quia in Deo datur infallibilis praescientia damnandorum aequae ac salvandorum, et in republica bene ordinata non solum ii inscribuntur speciali libro qui praemio, sed etiam qui supplicio vel poena mortis digni sunt. Sed s. Scriptura abstinet ab hoc loquendi modo, et quaecumque loquitur de iis, qui a Deo inscripti sunt in libro, nunquam de libro mortis, sed semper de libro vitae vel stricte, vel saltem late tali in sensu mox explicando intelligenda est. At

OPPONES I. In Ecclesiastico (3) legimus: *Haec omnia liber vitae, et testamentum Allissimi, et agnitio veritatis*. Ubi glossa interlinearis ait, hoc est, *novum et vetus testamentum*. Praeterea s. Augustinus (4) ait, quod liber vitae sit *quaedam vis divina, qua fiet, ut cuicumque opera sua bona vel mala in memoriam reducantur*. Sed neque haec vis divina, neque novum et vetus testamentum est notitia, quam Deus ab aeterno habet de praedestinis: er-

(1) Proverb. 5, v. 5.

(2) Vide Suarez, l. 1 de praedest. c. 20.

(3) Cap. 24, v. 52.

go liber vitae est aliquid aliud quam praedicta notitia. Ad hanc obiectionem respondet sanctus Thomas (5) his verbis: *Dicendum quod liber vitae potest dici dupliciter. Uno modo conscriptio eorum, qui sunt electi ad vitam; et sic loquimur nunc de libro vitae* (atque hoc sensu librum vitae ordinarie sumit s. Scriptura): *alio modo potest dici liber vitae conscriptio eorum, quae ducunt ad vitam. Et hoc iterum dupliciter: vel sicut agendorum; et sic novum et vetus testamentum dicitur liber vitae: vel sicut iam factorum; et sic illa vis divina, qua fiet, ut cuilibet in memoriam reducantur facta sua, dicitur liber vitae. Sicut etiam liber militiae potest dici, vel in quo scribuntur electi ad militiam, vel in quo traditur ars militaris, vel in quo recitantur facta militum. Hucusque Doctor angelicus.*

OPPONES II. Ex libro vitae deleri possunt, qui in eo scripti sunt: sed notitia Dei de aliqua re non potest deleri aut mutari: ergo liber vitae non est ipsa Dei notitia, quam ab aeterno habet de praedestinis. Maior patebit ex textibus s. Scripturae infra afferendis. Respondeo I. dist. mai. Ex libro vitae simpliciter et stricte dicto aliqui deleri possunt: neg. mai. Ex libro vitae secundum quid et late tali: Subdist. ita, ut delitio se teneat ex parte ipsius libri vitae, seu praescientiae divinae, quasi haec esset mutabilis, neg.: ita ut delitio non referatur ad librum vitae ex parte praescientiae, sed ex parte rerum praescitarum, quae sunt mutabiles, conc. S. Thomas (6), et alii plures faciunt discrimen inter librum vitae simpliciter, et secundum quid talem. Liber vitae simpliciter et stricte dictus est

(4) L. 20 de civit. Dei, c. 14.

(5) Loc. cit. ad primum.

(6) Loc. cit. art. 3.